Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

reduxit eos in custodia publica.
et fuerunt clausi multis diebus. Tunc
ueniebant ad eos multi christiani ut
benedictionem acciperent sacramenti.
quia tempus persecutionis urgebat. et
sic in custodiam ueniebant. et defere
bant filios suos et propinquos ex pa
ganis. et baptizabantur a beato sixto
episcopo. Tunc decius iussit omnem sena
tum conuocari. et fecit conuentum in tel
lude una cum ualeriano prefecto. v.
kl. augusti. Et constituto facto.
iussit sibi presentari decius abdon et
sennen. subregulos christianos quos
de persida adduxerat catenatos di
uersis penis. Et dixit decius ad se
natum. Audiat cetus uester patres con
scripti. Dii deeque tradiderunt nobis
hostes ferocissimos. et ecce inimici
imperii romani. Et introducti sunt
beatissimi martires christi abdon et
sennes. ornati auro et lapidibus pre
ciosis uincti catenis. Quos cum ui
disset omnis senatus. mirari cepit
in aspectibus eorum. Tantam enim graciam
contulit dominus seruis suis. ut magis
dolor esset in amore eorum quam furor.
Tunc decius iussit adduci claudi
um pontificem capitolii. et ponti
fex claudius detulit secum tripodam.
Et dixit decius cesar ad abdon et sen
nen. Sacrificate diis. et estote sub
reguli romane libertatis. et posside
te omnia uestra. et pacem romani im
perii. Augemini diuiciis et facul
tatibus et honoribus. et consulite uo
bis ipsis. Tunc responderunt martires christi
abdon et sennes dicentes cuncto sena
tui. Nos non meriti peccatores semel
nos obtulimus domino nostro ihesu christo ob

lacionem et sacrificium. nam diis tuis
tu sacrifica. Decius dixit. Istis a
cerrima tormenta paranda sunt. Et ius
sit decius ursos feroces et leones pa
rari. Et dixerunt abdon et sennes.
Quid tardas. Fac quod putas. quia
securi sumus de domino ihesu christo. qui po
tens est omnia cogitamenta tua et te
ipsum destruere. Alia die uenerunt
et nunciauerunt decio. quia ursi et leones
in caueis mortui fuissent. Decius
autem iratus iussit sibi edicionem
in amphiteatro parari. Et factum est
cum uenisset decius ad amphiteatrum
noluit introire. sed iussit ualeria
no prefecto pretorii dicens. Si non ado
rauerint deum solem. ferarum morsibus
lacerati intereant. Tunc ualeria
nus dixit ad abdon et sennen. Con
sulite uobis. et thurificate deo soli.
quod si non feceritis prohibiti amorsi
bus ferarum. Responderunt abdon et
sennes dicentes. Iam diximus tibi
nos dominum ihesum christum adoramus. nam
manu facto simulacro nunquam hu
miliamur. Eadem hora denudauit
eos. et furore repletus dedixit eos
ante simulacrum solis iuxta amphite
atrum. et precepit militibus ut eos con
pellerent ad sacrificandum. Illi autem
contemnentes et expuentes in simula
chrum. dixerunt ad ualerianum. Iam
fac quod facturus es. Tunc ualeria
nus iussit sub uoce preconia ut cum
plubatis cederentur dicens. Deos
blasphemare nolite. Et iussit eos
introduci in amphiteatrum. ut ferarum
morsibus consumerentur. Et cum ingressi
fuissent. responderunt in conspectu ua
leriani dicentes. In nomine domini nostri